

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Homilia XXVIII. Habita ad populum in basilica sanctorum Nerei & Achillei,
die Natalis eorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](#)

Mat. 5. 8

Pf. 108.

Marc. 11. c

Hier. 8. c

Exod. 18. e

1. Reg. 12. d

Hier. 8.

Mat. 6. b

Luc. 6. c

dio non potest persequi, persecutus oratione. Et vivit adhuc qui maledicatur, & tamen is qui maledicit, jam de morte illius reus tenetur. Jubet autem Deus ut diligatur inimicus, & tamen rogatur Deus ut occidat inimicum. Quisquis itaque sic orat, in ipsis suis precibus contra conditoris pugnat. Unde & sub Iudea specie dicitur: *Fiat oratio ejus in peccatum.* Oratio autem in peccatum, est illa petere quae prohibet ipse qui petitur. Hinc Veritas dicit: *Cum statim ad orandum remittitur si quid habetis in cordibus vestris.* Quam virtutem remissionis apertius ostendimus, si unum testimonium Testamenti veteris proferamus. Certè cum Iudea conditoris sui iustitiam culpis exigentibus offendisset, Propheta suum ab oratione Dominus prohibet, dicens:

Non assumas laudem & orationem pro eis. Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. Quid est quod intermissis relatisque tot patribus, soli Moyses & Samuel ad medium deducuntur, quorum mira obtinendi virtus ostenditur, dum nec ipsi posse intercedere dicuntur? Ac si aperte Dominus dicat: Nec illos audio, quos propter magnam petitionis suæ meritum minime contemno. Quid ergo est quod Moyses & Samuel ceteris patribus in postulatione præferuntur, nisi quod hi duo tantummodo in cuncta Testamenta veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exoriente? Unus à populo lapidibus impetratur, & tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur: alter ex principatu deejicitur, & tamen petitus ut exoraret, fatetur dicens: *Absit à me hoc peccatum in Domino, quo minus cessem orare pro vobis.* Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. Ac si aperte dicat: Nec illos modò pro amicis audio, quos magna virtutis merito, orare etiam pro inimicis scio. Virtus ergo vera orationis, est celitudo charitatis. Et tunc quisque quod rectè petit, adipiscitur, cum eius animus in petitione nec inimici odio fuscatur. Sed plerumque reluatatem animum vincimus, si etiam pro inimicis oramus. Effundit os pro adversariis precem, sed utinam cor teneat amorem. Nam sepe & orationem pro inimicis nostris impendimus, sed hanc ex præceptione potius fundimus, quam ex charitate. Nam & vitam inimicorum petimus, & tamen ne exaudiamus, timemus. Sed quia internus iudex mentem potius quam verba considerat, pro inimico nil postular, qui pro eo ex charitate non orat. Sed ecce in nos graviter inimicus deliquerit, damna intulit, juvantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent. Advocatus etenim noster precem nobis in causa nostra composuit: & ipse ejusdem causæ iudex est, qui advocatus. Preci autem quam compofuit, conditionem inseruit, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quia ergo ipse iudex venit, qui advocatus exitit, ipse precem exaudit, qui fecit. Aut ergo non facientes dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* & nosmetipso hoc dicendo amplius ligamus: aut fortasse conditionem hanc in oratione intermitimus, & advocatus noster precem quam composuit, non recognoscit, atque apud se protinus dicit: Scio quid monui, non est ipsa oratio quam feci. Quid ergo nobis agendum est, fratres, nisi ut verae charitatis affectum impendamus fratribus? Nulla in corde malitia maneat. Consideret omnipotens Deus erga proximum charitatem nostram, & nostris impendat iniquitatibus pietatem suam. Mementote quod monemus: *Dimitte, & dimittetur vobis.* Ecce debetur nobis, & debemus. Dimittamus ergo quod debetur nobis, ut dimittatur quod debetur a nobis. Sed ad hæc mens renititur, & vult implere quod audit, & tamen reluctatur. Ad Martyris tumbam consistimus, qui ad cæle-

A ste regnum ex qua morte pervenerit scimus. Nossi pro Christo corpus non ponimus, saltem animum vincamus. Placatur Deus isto sacrificio: approbat in judicio pietatis suæ victoriam pacis nostræ. Certamen enim nostri cordis aspicit: & qui post vincentes remunerat, nunc decertantes juvat, per Dominum nostrum Jesum Christum filium suum, qui cum eo vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Lectio sancti Evangelij secundum Joannem.

B IN illo tempore: Erat quidam regulus, cu- cap. 4. &
jus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Iesus veniret à Iudea in Galileam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus. Incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Dicit ad eum regulus: Domine, descendere priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: *Vade, filius tuus vivit.* Credidit homo sermone quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, servi occurserunt ei, & nunciaverunt dicens, quia filius ejus viveret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris. Conognovit ergo pater quia illa hora erat, in qua dixerat ei Iesus: *Filius tuus vivit.* Et credit ipse, & domus ejus tota.

HOMILIA XXVIII.

Habita ad populum in basilica sanctorum Neri & Achillei, die Natalis eorum.

E lectio sancti Evangelij, quam modò fratres auditis, expositione non indiget. Sed ne hanc taciti præterisse videamur, exhortando potius, quam exponendo in ea aliiquid loquamur. Hoc autem nobis solummodo de expositione video esse requirendum, cur is qui ad salutem filio petendam venerat, audivit: [*Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*] Qui enim salutem filio quærebat, proculdubio credebat. Neque enim ab eo quæret salutem, quem non crederet salvatorem. Quare ergo dicitur: [*Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*] qui ante credidit, quam signum videbat? Sed memento quid petuit, & aperte cognoscetis quia in fide dubitavit. Poposcit namque ut descendenter, & sanaret filium ejus. Corporalem ergo præsentiam Domini quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illum credit, quem non patavit posse salutem dare, nisi præsens esset & corpore. Si enim perfectè credidisset, proculdubio sciret, quia non esset locus ubi non esset Deus. Ex magna ergo parte diffusus est: quia virtutem non dedit majestati, sed præsentia corporali. Salutem itaque filio petuit, & tamen in fide dubitavit: quia cum ad quem venerat, & potentem ad curandum credidit, & tamen morienti filio esse absensem putavit. Sed Dominus, qui rogatur ut vadat, quia non desit ubi invitatur, indicat: solo iussu salutem reddit, qui voluntate omnia creavit. Quia in re hoc est nobis solerter inquendum, quid sicut Evangelista alio testante didicimus, Centurio ad

Mat. 8.

Dominum venit, dicens: *Domine, puer meus jacet a paralyticus in domo mea, & male torquetur. Cui a Jesu protinus respondet: Ego veniam & curabo eum. Quid est quod regulis rogat ut ad ejus filium veniat, & tamen ire corporaliter recusat; ad servum vero Centurionis non invitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur?* Reguli filio per corporalem presentiam non dignatur adesse, Centurionis servo non dignatur occurrere. *Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & divitias veneramus? Cumque pensamus que circa eos sunt, profecto interiora minimè videmus: dum ea consideramus quae in corporibus despiciuntur, negligimus pensare quod sunt. Redemptor vero noster ut ostenderet quia que alta sunt hominum, despicienda sunt; & quae despiciuntur sunt hominum, facilius despicienda non sunt: ad filium reguli noluit, ad servum Centurionis ire paratus fuit. Incepata est ergo superbia nostra, quae nescit pensare homines propter homines. Sola, ut diximus, que circumstant hominibus pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce ire non vult filius Dei ad filium reguli: & tamen venire paratus est ad salutem servi. Certe si nos cujuſpiam servus rogaret ut ad eum ire deberemus, protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens: Non eas, quia temeris penitus degeneras, honor tuus despiciuntur, locus vilescit. Ecce de caelo venit qui servo in terra occurrere non despicit: & tamen humiliari in terra contemnitur, qui de terra sumus. Quid vero apud Deum vilius, quid despiciens esse potest: quam servare honorem apud homines, & interni testis oculos non timere? Unde & in sacro Evangelio ad Pharisaeos Dominus ait: *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem nostrarum corda reperiet: quia quod hominibus alcum est, abominabile est apud Deum.* Notate fratres, notate quod dicitur. Si enim quod hominibus alcum est, abominabile est apud Deum; cordis nostri cogitatio tanto apud Deum in imo est, quando hominibus in alto: & humilitas cordis nostri tanto apud Deum in alto est, quanto hominibus in imo. Despiciamus ergo si quid boni gerimus: nulla nos nostra inflet operatio, non rerum abundantia, non gloria extollat. Si quibuslibet ex bonis affluentibus intus intumescimus, Deo despiciuntur sumus. Quod contra de humilibus Psalmista dicit: *Custodiens parvulos Dominus. Quia parvulos humiles appellat, postquam sentientiam protulit, consilium subiungit: nam quasi si quereremus quid ipse ad haec faceret, adjunxit: Humiliatus sum, & liberavit me.* Hac ergo cogitate, fratres, haec tota intentione pensate. Nolite in proximis vestris mundi hujus bona venerari. Hoc propter Deum honorare in hominibus, quibus tamen commissi non estis, quod facti sunt ad imaginem Dei. Quod tunc proximis vere servatis, si apud vosmetipso prius in corde non intumescitis. Nam qui se adhuc pro rebus transitorii extollit, nescit in proximo venerari quod maneat. Nolite ergo in vobismetipso pensare quod habetis, sed quid estis. Ecce mundus qui diligitur, fugit. Sancti isti, ad quorum umbram consilimus, florentem mundum mentis despiciunt calceaverunt. Erat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, secunditas in propagine, tranquillitas in diurna pace: & tamen cum in seipso floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce jam mundus in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percumur, undique amaritudinibus replemur: & tamen cæcumente carnis concupiscentia ipsa ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhaeremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Ali-*

Luc. 16. 8.

P. 114. b


Ibid.

A quando nos mundus retraxit a Deo: nunc tantis plagiis plenus est, ut ipse nos jam mundus mittat ad Deum. Pensate ergo quia nulla sunt quæ temporaliter currunt. Finis temporalium ostendit, quæ nihil sit quod transfere potuit. Casus rerum indicat, quia res transiunt & tunc prope nihil fuit cum stare videretur. Hac ergo, fratres charissimi, sollicita consideratione pensate, in eternitatis amore configite; ut dum terrena culmina adipisci contemnitis, perveniat ad gloriam, quam per fidem tenetis, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui vivit & regnat Deus cum Parce in unitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Amen.

B

Lectio sancti Evangelij secundum
Marcum.

In illo tempore: Recumbentibus undecim ^{cap. 16. 6.} discipulis, apparuit illis Iesus, & exproubravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia his qui viderant eum resurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, predicate Evangelium omni creature. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur. In nomine meo demonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super agros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in celum, & sedet a dextris Dei. Illi autem profecti predicatoraverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.



HOMILIA XXIX.

Habita ad populum in basilica beati Petri
Apostoli, in Ascensione Domini.

Quod resurrectionem Dominicam discipuli tandem crediderunt, non tam illorum infirmitas, quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectione illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est: quia dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamur? Minus enim mihi Maria Magdalene praestitit quæ citius creditit, quam Thomas qui diu dubitavit. Ille etenim dubitando, vulnerum cicatrices tetigit, & de nostro pectori dubitetatis vulnera amputavit. Ad insinuandam quoque veritatem Dominicæ resurrectionis notandum nobis est quid Lucas referat, dicens: *Conversens præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent. Et post pauca: Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Notate verba, signata mysteria. *Conversens elevatus est.* Comedit, & ascendit: ut videat per effectum comedionis veritas patesceret carnis. Marcus vero priusquam celum Dominus ascendat, eum de cordis atque infidelitatis duritia increpasse discipulos memorat. Quia in re quid considerandum est, nisi quod idcirco Dominus tunc discipulos increpavit, cum eos corporaliter reliquit, ut verba quæ recedens diceret, in corde audientium arctius impressa remanerent? Incepit igitur eorum duritiam, quid admonendo dicat, audiamus.

[Euntes in mundum universum, predicate Evangelium]

YYy ij